



Regula honestatis moralis seu tractatus theologicus tripartitus de regula moraliter agendi

In Duos Item Libros Dividitur: In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, ... In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ... ubi multa de ultimi ...

Camargo, Ignacio de

[S.l.], 1702

Articulus II. Improbatur doctrina præcedentis articuli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94767)

scientiarum præjudicio, vulgi stultitiæ dijudicandam, immò verò irridendam offerunt, ut libros suos venales faciant, quo plus, & pluribus nocere possint. Hunc attamen Summistam præter morem meum recensui, ut ex doctrina ipsius facilè appareat, qualis hodiè invaluerit opinandi, ac docendi modus, quando sic exponuntur ipsa Pontificia Decreta, per quæ Summi Pontifices nimiam opinandi licentiam in rebus ad conscièntiam pertinentibus, semel, & iterùm severissimè taxant, & tanto cum horrore detestantur, ac prohibent.

ARTICULUS II.

Improbatur doctrina præcedentis articuli.

ENimverò prædictas Pontificii Decreti expositiones legitimas non esse, sed arbitrariè potius confictas, & alienas omninò à sensu, & mète Summorum Pontificum, haud difficile sit ostendere.

§. I.

Refellitur communior illa expositio Probabilistarum.

21. ET in primis, quòd praxis opinionis tenuiter tantùm probabilis non sit prohibita, atque damnata universaliter in quacunque materia, sed in materia tantùm de valore Sacramentorum, in ferenda sententia judiciali, aut aliis specialibus casibus, inverisimile prorsus esse, meritò Recentiores ipsi (quidquid aliàs aliqui innuant) supponere tandem videntur.

22. Sanè, damnatis signatè, & specialiter illis particularibus opinionibus de Judice, de Sacramentis, de infideli, & aliis similibus, jam quælibet opinio universalis, quæ praxim tenuis probabilitatis ad eos omnes casus extenderet, quoad illam

extensionem intelligebatur damnata, nec erat, cur ulteriùs propter illam iterùm damnaretur specialiter.

23. Præterea nec damnari debuisse, eò quòd non exciperet expressè alios casus particulares, ut de bello, de medico, & alios similes, pro quibus opiniones asserentes, licitum esse uti opinione minùs probabili, aut nullæ sunt, aut penitus inverisimiles; aliàs ob eandem rationem damnari quoque debuisset specialiter opinio ipsa benigna Recentiorum, quæ passim apud ipsos invenitur expressa sub terminis universalibus, & nullam exceptionem præferentibus, ut, *quisquis sequitur opinionem, etiam minùs probabilem, & minùs tutam, prudenter, & honestè operatur: nemo de præcepto tenetur amplecti in dubiis opinionem tutiorem, estò sit æquè, aut magis probabilis, & aliis consimilibus nimis frequenter obviis in libris Probabilistarum.*

24. Quòd si dicatur, exceptiones illas supplendas esse aliunde, & necessariò subintelligendas ex communi sensu Doctorum, qui benignam sententiam tenent: tantundem pari jure dicendum erit de illa benignissima opinione: quam tamen specialiter in illo articulo damnatam videmus, nec privilegium ullum quoad hoc uni potius, quàm alteri suffragari ostendetur.

25. Nec rursus dici potest, meritò benignissimam præ benignam opinionem damnatam esse; quia benignissima non distinguit inter opiniones probabiles practicè, vel speculativè, uti distinguit opinio benigna, sed generatim, ac sine discrimine omnem opinionem probabilem, etiam tenuiter, ad praxim approbat: quod est planè absurdissimum, ac meritò proinde damnatum. Frustrà, inquam, id dicitur: nam, vel jure damnatur opinio illa, eò quòd in ea assertione, per quam ipsa proponebatur, distinctio illa non esset expressa; & sic eodem jure damnari quoque debuit benigna Recentiorum opi-

opinio; quæ passim enuntiatur, atque proponitur absque expressione talis distinctionis. Vel iuste potius damnata est, quia distinctionem illam sic excludebat, ut eam subintelligi non pateretur: & hoc falsum est, ut quod maximè; quia non solum non excludebat, sed potius ipsa assertio damnata, vel sub terminis ipsis, quibus damnata est, præfatam distinctionem, ac determinationem ad opiniones practicè probabiles, saltem implicite continebat, immò verò haud obscure significabat.

26. Equidem probabilitas non exiens à finibus probabilitatis (utique moralis, ac veræ) qua confisi prudenter semper agimus, probabilitas practica est, & versans circa licitum, vel illicitum, ut, vel ex ipsis terminis, satis manifestum apparet; probabilitas namque purè speculativa non est propriè moralis, aut vera probabilitas conscientiæ, neque illi confidimus ad prudenter agendum. Denique assertiones quamplures benignam opinionem enuntiantes non, apertius præferunt distinctionem prædictam, aut sensus restrictionem ad opiniones practicè probabiles. Debuit ergo sub talibus assertionibus pariter prohiberi, aut damari, benigna Recentiorum opinio, si propterea dicatur opinio benignissima jure damnata.

Pater igitur, istam re verà non dampari, quatenus approbabat ad praxim opiniones non practicè probabiles. Unde tandem concluditur, praxim cujuslibet opinionis tenuiter probabilis, etiam practicè, non tantum in aliquibus specialibus casibus, sed in omni potius materia generaliter esse damnatam.

§. II.

Expositio specialis duorum Recentiorum refellitur.

27. Totum hoc prælaudati Recentiores, quidquid vellent

nequidquam tergiversari, fateri tandem absolute videntur. Jam verò, quod Recentior prior agebat, nempe opiniones, quæ non pertingunt ad certam probabilitatem, sed solum sunt probabiles probabiliter, esse opiniones tenuiter probabiles, proindeque damnatas re ipsa Decreto Pontificio censer; secus verò opinionem aliquam verè, ac certò probabilem in via Probabilistarum: id verò primum inconsequenter ad principia moderni Probabilismi: præterea gratis, falsoque dictum esse, haud diffculter convinci potest.

28. Inconsequenter quidem: nam opinionem probabiliter tantum probabilem esse tutam, ac rectam agendi regulam juxta principia Probabilistarum, sequela est, nimis quidem absurda, quam ob absurditatem, ac laxitatem suam ipsi Probabilistæ communiter jam horrent, proptereaque concedere non audent. Unus, aut alter (inquit Terillus) expressè tenet, probabilitatem solum probabilem de honestate partis minus tutæ sufficere, ut illa licite in praxim deducatur: sed hanc eorum sententiam, utpotè nimis laxam, nullatenus approbare possum. Reliqui omnes, qui absolute tenent, probabilitatem excusare sectantem partem minus tutam, aut supponunt, aut expressè tradunt, probabilitatem de honestate operis debere esse certam, ut operantem excuset. Hæc Terillus, cui cæteri communiter Recentiores tacite, aut expressè consentiunt.

29. Veruntamen sequelam esse evidentem, & indeclinabiliter sustinendam, penitus apud me convincit discursus posterioris Recentioris. Nam in principiis Probabilismi difficilius esse non potest elicere dictamen conscientiæ absolute certum, & evidens per artificium Reflexistarum de rectitudine regulæ operandi solum probabiliter recte, quam elicere simile dictamen de absoluta honestate actionis probabiliter tantum honestæ (si hoc fortè requiritur ad

Terill. q. 21. de conscientia. 1.

honestè operandum; quod omnimodis negant haud pauci ex insignioribus Probabilistis cum PP. Vazquez, & Sanchez): qui verò certus est de rectitudine regulæ, quam sequitur, certus pariter est de suæ operationis absoluta honestate.

30. Et quidem P. Fabri, & alii Recentiores, qui temperantiùs sentent, modestiùsque loquuntur, de sua benigna sententia (quam solum dicunt esse probabilem), æquè facile eliciunt per novam reflexionem superadditam supra dictamen solum, probabile ex illa immediatè deductum, ultimum cōscientiæ dictamen de absoluta honestate actionis absolutè certum, & evidens juxta principia Probabilismi.

Terill. q.
23. de con-
scia n. 153.

31. Immo & Terillus ipse, qui de eadem sententia adeò gloriòse loquitur, & certissimam illam passim appellat, id ipsum profiteretur, & ostendit ex hypothesi sibi impossibili, quod non nisi probabilis illa esset. Ergo pariter poterit eodem artificio simile artificium deduci ex opinione aliqua particulari probabilis solum probabiliter, cum eadem utrobique sit ratio. Ergo, si consequenter ad principia Probabilismi Recentior ille loqui voluerit, fatendum sibi est, opinionem quamcunque non nisi probabiliter probabilem, esse tutam, ac rectam agendi regulam. At praxis opinionis ejusmodi damnata est, ut ipse rectè contendit. Ergo Probabilismus Recentiorum non rectam, sed obliquam, ac damnabilem, invehit in Ecclesiam agendi regulam, adeoque ab omnibus repellendus est.

32. Falsò propterea, & gratis dicit item Recentior, nullam in via Probabilistarum certò probabilem opinionem esse posse tenuiter probabilem, adeoque nullam esse absolutè damnatam. Utique probabilitas cōscientiæ sufficiens ad honestè operandum juxta principia benignæ sententiæ, non habet in sua ratione terminum aliquem ita definitum, ut in indivisibili consistat, sed admittit

magis, & minùs; neque enim omnes opiniones probabiles, quarum praxim, & usum illa sententia approbat, æqualiter probabiles sunt, sed aliæ aliis probabiores: de quo nullus opinor ambigat. Certè id Recentiores loquuntur universi, passimque supponunt, ac docent.

33. Præterea evidens est ex essentiali, ac proprio conceptu benignæ probabilitatis, quæ non consistit in reali ipsa moralis opinionis veritate, sed in ipsius apparentia, duntaxat, præscindente ex sua ratione ab ipsa veritate, atque falsitate realis; immò, & quæ magis sit ad falsitatem determinata, dummodò non consurgat ex rationibus contemnendis, & quæ parvi, aut nullius momenti habeantur. Evidens autem est, ejusmodi apparentiam veritatis indivisibile quid non esse, sed admittere minùs, & magis.

34. Hinc patet manifestè, benignam probabilitatem, etiam certam (si certa esse dicatur necessaria ad agendum prudenter, & honestè, de quo non obiter infra dicemus) esse posse magnam, aut parvam, proindeque, vel tenuem, vel non tenuem; etenim probabilitas tenuis ex propria nominis significatione quid aliud est, quam quædam probabilitas levis, parva, aut exigua in esse probabilitatis? Patet, inquam; nam gradus inferiores probabilitatis ejusmodi comparati ad altiores, ac superiores gradus ejusdem probabilitatis, nequeunt non esse parvi, & exigui, adeoque nequeunt non esse tennes, quidquid sit, an sint tennes absolutè seu comparati ad alios alterius generis probabilitatis: quemadmodum in physicis gradus inferiores albedinis, caloris, aut frigiditatis, debiles sunt, exigui, ac remissi, relatè ad alios gradus altiores, aut superiores ejusdem qualitatis. Et universim ubicumque datur ratio aliqua positiva à pluribus diversæ, & inæqualiter participata, nequit non esse in illa magnum, & parvum; quia non potest

test non esse superius, & inferius, quod relatè ad superius ejusdem generis nequit non esse exiguum, ac parvum.

35. Itaque nunc directè non disputo, utrum exigua, aut tenuis probabilitas intra genus benignæ probabilitatis, sic exigua, seu tenuis, vel absolutè in se considerata, vel comparata ad aliam diversam alterius generis probabilitatis, scilicet imperfectioris, nec sufficientis ad honestè operandum: id modò unicè contendo, & ostendo, ipsam esse, re verà parvam, ac tenuem intra propriam suam rationem, videlicet in genere benignæ probabilitatis.

36. Nam, quod magnum est absolutè, vel relatè ad alia diversi generis, potest esse parvum, ac modicum in suo proprio genere consideratum. Sic mons, & in se ipso, & comparatum ad animal, aut arbo-rem, magnum quist est; cum tamen modicus sit quandoque, & exiguus, in proprio suo genere montis, juxta illud Psalmistæ. *Et Hermonium à monte modico*: similiter Pigmeus magnus est, si conferatur ad muscam, aut formicam; debilis autem, pusillus, & exiguus intra propriam suam rationem, scilicet in esse hominis. Pariter ergo rectè inter se cohærent, benignam aliquam probabilitatem ad inferiores gradus intra genus illud depressam, esse magnam, ac fortem absolutè, vel collatam ad aliam generis inferioris; & simul esse exiguam, ac tenuem intra propriam suam rationem benignæ probabilitatis.

37. Hinc argumentum, quo Recentior probabat, in ipsis terminis implicare, aliquam opinionem esse certò probabilem juxta principia benignæ sententiæ, & simul esse tenuiter probabilem: nempe quia opinio, certò probabilis fulciri debeat rationibus non tenuibus, sed robustis potiùs, ac fortibus, & quæ vires validas habeant ad resistendum contrariis rationibus: hoc, inquam,

argumentum æquivocatio est; neque enim probat esse impossibilem benignam probabilitatem, quæ tenuis sit intra genus proprium; sed ut summum, quæ talis sit, vel absolutè in se, vel relativè ad aliam probabilitatem alterius generis inferioris, de quo modò non disceptamus.

38. Enimverò, quod certa probabilitas, quam inducit benignus Probabilismus (sic enim nunc accipimus benignam probabilitatem), nec magna sit, nec fortis absolutè, & re ipsa; sed inanis potiùs, ac fallax, abundè demonstratum jam est, & abundantius adhuc demonstrabitur. Nunc autem id non agimus saltem directè, sed ab hoc præscindentes, unicè firmare contendimus, non solum opiniones probabiliter, verum etiam certò probabiles in via Probabilistarum, esse posse tenuiter probabiles, atque aded non tantum illas, ut docebat ipse Recentior, sed etiam istas absolutè damnari, ut ex dictis satis colligitur, & statim distinctius monstrandum est.

Unde à fortiori falsum esse convincitur, quod Recentior alter docebat de dubia tantum probabilitate: ad cujus argumentum potissimum, de ambiguo saltem sensu Decreti Pontificii, nonnihil etiam postea dicemus.

ARTICULUS III.

Benigna Recentiorum sententia per damnationem sententiæ benignissima videtur quoque damnata.

§. I.

Elicitur sensus legitimus prædicti Pontificii Decreti, quo damnatur sententia benignissima de tenui probabilitate.

39. **I**D verò ex dictis proclive sit. Nam, si opiniones aliquæ certò probabiles in sensu benignæ senten-